

cognitione clara, distincta, viua et efficaci euangelicae doctrinae vocabulum φωτισθέντες vi contextus hic est exponendum: Et cum eiusmodi illuminationis et cognitionis in animis hominum productio alias in sanctissimis litteris deo semper, hominibus numquam adscribatur, confer loca paullo ante excitata, clarum est, quod ἀπαξ φωτισθέντες sint ii, in quorum mente deus, et in primis spiritus sanctus, cui per adpropriationem totum conuersionis opus adscribi in sacris litteris solet, iam olim distinctam, viuam atque certam euangelicae veritatis produxit cognitionem, quique ideo de euangelii veritate intime ac penitus fuerunt persuasi. Non audiendi ergo mea quidem sententia sunt vetustioris ecclesiae doctores, qui illuminationis vocabulum de baptismo interpretantur, de quibus vide SEB. SCHMIDIVM *ad h. l.* nec audiendus IUSTINIANVS, qui eorum legit vestigia; etiamsi enim hoc negari non possit, quod a patribus, quos dicunt, graecis vocabulum φωτιζεν de baptismo adhibitum fuerit, *conf. FESSELIVS in Aduers. sac. T. II. p. 108. seq.* hoc tamen, quod scio, numquam poterit euinci, quod vllibi in toto N. T. huic vocabulo haec competat notio. Nec Syri auctoritas hic quemquam temere decipiat, qui τὸ φωτισθέντας transfert οὐρανὸν ἰδόντες, qui ad baptismum peruenerunt.

§. XIII.

II. Apostolus noster eos, qui peccatum contra sanctissimum dei spiritum admittunt, dicit γευσάμενος τῆς δωρεᾶς τῆς ἐπεσχάτης, qui gustarint donum caeleste. Hic determinandum venit, quid sit δωρεὰ ἐπεσχάτιος, item, quid sit γέυειν τῆς δωρεᾶς ἐπεσχάτης. Quale donum hic sit intelligendum, facile est ad determinandum,

dum,